



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 17. Emendatus Plauti locus è Milite glorioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Emendatus Plauti locus è Milite glorioso.

CAPVT XVII.

PLAUTINI versus sunt è Milite glorioso:
Quid istuc quaso: quid oculo factum est tuo?

P L. *Habeo quidem hercle oculum.* PYR. *at leuum dico.*

P L. *eloquar.*

Maris causa hercle ego hoc vtor oculo minus.

Nam si abstinuissem à mari, tanquam hoc vterer.

in quibus cum iocus elegantissimus, & Plautino dignissimus ingenio subsit, vna litterula deprauata ita eum corrumpit, vix vt à quoquam sentiri queat. nam cum Atheniensis ille adolescens, qui ornatu nauclerici amicam à milite per fallaciam abducturus venerat, oculum sibi laeuum, ne agnosceretur, obligasset: interrogatus à milite, cur id faceret, vrbanius respondet, se id maris causa facere. nam, inquit, si amare abstinuissem, eo æquè atque altero vterer. ludit autem militem ambiguitate vocabuli. cum enim dicere videatur duabus vocibus, si à mare abstinuissem; non id dicit: sed, si amare abstinuissem. reuera enim amorem ipsi in causa fuerat, vteo oculo minus vteretur: aut saltem ita fingeret. Mare autem sexto casu dixisse vterer constat. Sic Varro:

Clauditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

Sed & Ouidius: — *Et Libyco, inquit, de mare carpit aquam.* ita igitur Plautinus ille versus legendus est:

Nam si abstinuissem amare, tanquam hoc vterer.

Hoc quoque pro suo nuper edidit Cælius: sed secundus. Ego enim abhinc quindecim annos primus edideram.

Lentus